



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

401. An necesse sit in resignatione, & illius admißione exprimi causam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Quaestio 401. An necesse sit in resignatione & illius admissione exprimi causam?

Respondeo primò: Tametsi in supplicationibus resignationum in favorem tam simplicium (hoc est, ubi nulla praeterea apponitur conditio, puta reservandorum fructuum vel pensionis) quam conditionalium apponi soleat hæc clausula: *ex certis causis animum suum moventibus*: eam tamen etiam non esse necessariam putat Corrad. *loc. cit. n. 6.* ed quòd resignationes, quæ fiunt in manibus Papæ, non requirant expressionem causæ; cum resignatio ex causa fiat tantum coram Ordinario, qui sine aliqua de expressis in Constitutione Pij V. non potest eam admittere. Porro, quatenus nulla causa specificaretur, sufficere nihilominus expressionem dictorum verborum: *ex certis causis*, ait Corrad. *cit. n. 7.* quod ipsum tamen intelligere videtur de resignatione facta coram Papa.

2. Respondeo secundò: Mutua resignatio, quæ contingit in permutatione, fieri potest exprimendo vel non exprimendo, illam fieri ex causa permutationis, ut Gl. in *clem. 1. de rer. permut. v. ex causa.* Tond. *qq. benef. p. 3. c. 180. n. 2.* quia, si non exprimitur, sufficit illud colligi ex conjecturis, puta præcedentibus gestis & dictis, ut Imol. in *cit. Clem. unicam. n. 7.* Tond. *loc. cit. n. 3.*

Quaestio 402. Quanam in genere sint causa legitima resignandi beneficia?

Respondeo: Quamvis, qualis causa sit legitima & sufficiens ad resignationem concedendam, in genere vix definiiri valeat; cum difficilius admittenda sit resignatio unius beneficii v. g. Episcopatus, aliarumque Prælaturarum curam animarum habentium. Pirrh. *ad tit. de renunc. n. 39.* Item facilius admittenda resignationes litigiosorum beneficiorum, vel in causa dubia amore litis componenda seu concordia: Laym. *ad c. admones. de renunc. n. 2.* Nihilominus tamen in genere dici potest, causam sufficientem peti posse non tantum ex utilitate Ecclesiæ, sed etiam ex utilitate personarum. Tond. *qq. benef. p. 2. c. 4. §. 9. n. 29.* ex Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 172.* & Riccio *de iur. Curia Neapol. p. 1. decis. 37. n. 5.* sic Laym. in *c. quidam. de renunc. n. 1.* & ex eo Pirrh. *loc. cit. n. 40.* cum communi dicunt, duas esse potissimum renunciationis causas: commodum Ecclesiæ, & salutem propriam. Unde patet per commodum personæ non esse intelligendum commodum aliquod merè temporale, dum Barbof. *loc. cit. n. 97.* ait: *ceterum volens renunciare laboris vitandi gratiâ, vel ambitus, vel avaritia causâ, aut ex alia minus legitima causa, nullatenus est audiendus, juxta c. sicut vir. per tot. q. 1.* Nunc in specie

Quaestio 403. Qua causa requiratur, ut Papa Papatui renunciare possit?

Respondeo nullam; cum ei concessum, ut possit liberè renunciare, *c. 1. de renunc. in 6.* ubi verbum *liberè* positum remittit hoc ejus voluntati, & excludit causam. Paris. *l. 5. q. 1. n. 13. & 14.* quod credo intelligit ad summum de resignatione valida, non autem etiam de licita. Ad hoc autem, an Papa cogi possit ad renunciandum ex causa aliqua, non respondet Parisius, sed re-

mittit ad Jacobat. *tr. de Concil. l. 9. a. 3. & latissime a. 12. per totum.*

Quaestio 404. Qua requiratur causa in renunciatione Cardinalatus?

Respondeo Paris. *l. 5. q. 2. n. 1.* in hac quaestione nihil scripsisse AA. ed quòd hæc resignatio de raro contingat; ideòque se existimare, remittendum arbitrio Papæ, quæ causa dicatur ad hoc sufficiens.

Quaestio 405. Qua sint causa, ob quas Archiepiscopus, & Episcopus (intellige postquam confirmatus est) possit petere licentiam resignandi, hæc ei concedi, & ejus resignatio admitti?

Respondeo, esse earum sex in *c. nisi cum pridem. de renunc.* expressas: nempe conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, grave scandalum, irregularitas. Ex quibus causis Episcopum non tantum posse resignare, sed & debere, quin & à Papa cogi posse ad resignandum, tradunt Paris. *l. 5. q. 4. n. 2. & 3.* citans Hostiens. in *cit. c. nisi.* Jacobat ubi *supra. n. 25. & c. Pirrh. cit. n. 40.* ubi etiam ex Laym. *qq. canonice de Prælat. elect. q. 120.* ait: dum denum ex his causis unam sufficientem censendam ad concedendam Episcopo renunciationem, si spectatis omnibus, utilitas Ecclesiæ suadeat cessionem seu resignationem, utilisque eâ remedium adhiberi non possit. Jam verò examinanda breviter harum causarum singula. Proinde

2. Respondeo secundò: Intelligi crimen non quodcumque, sed tale, propter quod Episcopalis officii executio, etiam post peractam poenitentiam impeditur. Paris. *cit. q. 3. n. 8.* Engels *ad tit. de renunc. n. 6.* Pirrh. *loc. cit. n. 41.* cum communi. Unde in criminibus, de quibus poenitere potest Episcopus remanendo in executione officii sui, non tenetur petere cessionem. Paris. *loc. cit. n. 12.* Talia autem crimina, etiam post peractam poenitentiam, impediunt executionem officii Episcopalis sunt primò ea, quæ in ipsi adeptione Episcopatus commissa, vel etiam præexistente ipsum titulum Episcopatus invalidant; v. g. si quis simoniacè electus vel promotus fuit ad Episcopatum, vel cum excommunicationis, suspensionis, aut irregularitatis impedimento institutus fuit. Laym. in *c. nisi cum pridem. de renunc. §. incerti. n. 5. & in c. innotuit. de elect. n. 10.* Pirrh. *ad tit. de renunc. n. 42.* quamvis, ut patet, dum ob crimen invalidus fuit titulus, dimissio beneficii non sit proprie resignatio. Pirrh. *ibid.* Porro in hoc casu, dum crimen hujusmodi vel defectus tituli notorius est, potest cedere Episcopatu, etiam licentiâ Papæ non requisitâ, ed quòd tunc vinculum nullum extiterit talis cum Ecclesia, adeòque nec opus auctoritate Papæ ad illud dissolvendum. Laym. in *cit. c. nisi. loc. cit.* Pirrh. citans Gl. in *cit. c. nisi. v. sed duntaxat.* Abb. *ibid. n. 5.* Laym. in *qq. can. de elect. q. 174.* Dum verò crimen & defectus tituli occultus mansit, resignare debet in manibus Papæ ad vitandum scandalum, vel ab eo petere revalidationem tituli, per novam scilicet legitimam institutionem. Pirrh. & Laym. *II. cit.* Esse tamen etiam probabile, quòd, dum quis in occulta excommunicatione, suspensione vel irregularitate

fuit